

## Relinquere ah cum fonte primo

Prima abrenunciatio rerum alienarum est, ideoque per se solam perfectionem renuncianti conferre non sufficit, nisi peruenerit ad secundam que uere abrenunciatio rerum nostrarum est. Quam adepti expulsionem omnium uiciorum; tercie igitur abrenunciationis fastigia conscendimus

et  
ita demum illud supremum mereamur audire quod dicitur ad Abraham: Veni in terram quam tibi monstrauro

quia  
perfecte renuncianti tribuitur ut terram repromissionis intrare mereatur.

Idem (Iohannes Cassianus).

ergo  
prima quam diximus abrenunciatio rerum alienarum est ideoque per se solam perfectionem renuncianti conferre non sufficit, nisi peruenerit ad secundam, quae uere abrenunciatio rerum nostrarum est. quam adepti expulsionem omnium uitiorum terciae quoque abrenuntiationis fastigia conscendimus,  
per quam non solum omnia quae in hoc mundo geruntur uel particulatim ab hominibus possidentur, uerum etiam ipsam cunctorum elementorum plenitudinem, quae putatur esse magna, tamquam uanitati subiectam et mox transituram transcendentem animo ac mente despiciamus, intuentes dumtaxat secundum apostolum non ea quae uidentur sed quae non uidentur: quae enim uidentur, temporalia sunt, quae autem non uidentur, aeterna, ut ita demum illud supremum mereamur audire quod dicitur ad Abraham: et ueni in terram, quam tibi monstrauro (Gen. 12:1).  
per quod euidenter ostenditur, quod nisi quis tres superiores illas abrenuntiationes omni inpleuerit mentis ardore, ad quartum hoc peruenire non possit, quod remunerationis ac praemii uice perfecte renuncianti tribuitur, ut terram repromissionis mereatur intrare nequaquam sibi iam uitiorum spinas ac tribulos germinantem: quae post expulsionem passionum cunctarum puritate cordis in hoc corpore possidetur, quam non uirtus uel industria laborantis, sed ipse dominus ostensurum se esse promittit et ueni, inquit, in terram, quam tibi monstrauro.

Iohannes Cassianus, *Conlationes XXIII.*, 3, 10, 4-5 (CSEL 13, M. Petschenig ed., pp.82-3, ll.19-28, 1-10).